

le; quod vero hæc actio tendat ad auferendum alteri quod suum est, moralitatem habet, & quidem malum est; ac proinde patet Deum concurrere ad id quod physicum est in actione furis, non vero ad id quod morale est; nimirum physicum actionis tantummodo indiget concursu divino, non vero malum morale ejusdem. Etenim Deo concurrente, fur quatenus animo & corpore constans, & velle & brachium ad nutum animæ movere potest; sed quatenus vult rem alienam atque ad eam auferendam brachium movet, id homini tribuendum libertate sua abutenti.

Inst. 1. Deus non potest concurrere ad id quod physicum est in actionibus malis, nisi concurrat etiam ad id quod morale seu malum est. Ergo &c. . . Prob. Ant. Physicum seu materiale actionis malæ conjunctum est cum morali seu formali aut malitia ipsa actionis. Ergo &c. . . Resp. N. Ant. Ad cujus probationem Dist. Ant. malitia ipsa seu morale conjunctum est cum physico *a causa secunda deficiente*, C. *a causa prima indefectibili*, N. Itaque defectus actionis moralis a Deo creaturam tum in *esse simpliciter*, tum in *esse operantis* conservante non est, sed a creatura quæ cum limitata sit, deficere potest & revera aliquando deficit libertatis abusu.

Inst. 2. Qui concurrit ad physicum actionis malæ ex quo videt sequi morale peccati, ille est reus peccati, sed Deus concurrendo ad physicum actionis malæ videt ex eo sequi morale peccati; ergo &c. . . Resp. Dist. Maj. Est reus peccati si sit causa